

gnitionem principiorum illius scientiae, quae est interior; & ideo licet nos Viatores nihil iuveniat in percipiendis fidei mysteriis, tamen quia hac ipsa claritas penetratur ab illis nostra Theologia dicitur illi subalternata. Sed plane haec responsio omnino destruit rationem subalternationis, quae ut dixi, significat subordinationem unius scientiae ad aliam, sed dependentiam ab illa in ratione cognitionis; si ergo nostra Theologia nulla principia accipit à Beatis, neque ullum lumen, plane nullo modo ei subalternata dici poterit; sicut nonnullae scientiae naturales non ob id metaphysicae dicuntur subalternatae, quia quaedam earum principia clarius, & distinctius à metaphysico penetrantur, quam ab illis.

Respondent tandem alii nostram subalternari Theologiae Beatorum, quia fides nostra ordinatur ad obtinendam visionem beatam, quae videbitur Deum sicuti est, & principia fidei in evidentiā sicut tunc evidentiā. Sed neque hoc propriam subalternationem inducit, quia talis ordinatio fidei nostrae ad gloriam, & visionem beatam, non est in genere scientiae, sed in genere moris, & meriti, quatenus fides iuvat ad efficienda opera bona, quibus gloriam consequamur, ut notat Arriaga; Et quod per visionem beatam in patria finis visuri Deum sicuti est, & misteria fidei clarè percepturi, patum modo iuvat cognitionem nostram obscuram, quam de illis habemus hic in via, dixerim melius, nihil; in quo ergo consistit haec subalternatio? plane omnino fictitia, & vana. Deinde, ut nuper diximus, si nunquam futuri essemus beati, nec articulo- rum fidei evidentiā habuerim, adhuc eos possemus credere sicut modo, & conclusiones easdem ex illis deducere; ergo id nihil facit ad subalternationem Theologiae nostrae respectu Theologiae Dei, & Beatorum.

Postremo arguit Doctor, habens subalternantem potest quoque habere subalternatam, & contra; atqui impossibile est habere simul Theologiam Beatorum, & Viatorum, ergo ista non sunt subalternata; probat majorem quoad primam partem, quia habens principia conclusionis potest ex eis ad conclusionem procedere, sed subalternans continet principia subalternata, ergo &c. probatur etiam quoad alteram partem, nam subalternata non est scientia, nisi principia suorum conclusionum resolvat sicut in principia subalternantis, quia scire est rem per causam cognoscere; tum quia nisi sciat sua principia per principia subalternantis, vel sciat ea per demonstrationem, quia, ut inducitur, & sic talem noticiam non habet, quatenus subalternata, quia in tali modo cognoscendi sua principia non dependet à subalternata; vel sciat ea per solam fidem, quam adhibet tradenti sibi illa principia, & sic non erit scientia, sed fides subalternata quia nescit principia sibi invidentibus, & solum creditis. Minor etiam probatur, quia visio evacuat fidem, & contra, ergo Viator habens de articulis fidem, nequit simul habere visionem, & Beatus de eisdem habens visionem nequit habere fidem.

Respondet Cajet. posse Beatos utramque habere cognitionem, quia Theologia, quam hic in via acquiritur, remanet in eis per modum scientiae acquisitae, & non est enigmatica. Contra, quia dubium est, an Theologia nostra remaneat in patria, & cum de eius ratione sit obscuritas, quia principia invidentibus nititur, verosimilius est non remanere, quia claritas beatæ visionis quacunque obscuritatem evacuat ex 1. Corinth. 13. *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est;* quem locum Cajet. exponens tenet, quod Theologia nostra non remanet in patria; poterant ergo Beati cognoscere easdem propositiones Theologicas, quas hic noverunt, sed non eodem lumine, quo hic in via. Tum quia si talis scientia acquiritur remanens in beatis non est obscura, & enigmatica; ergo non erit Theologia Viatorum, quae ex sua ratione talis est, cum nitatur lumini fidei, quod non stat cum lumine gloriae. Tum quia non est tantum quaestio de Beatis, sed etiam de Viatoribus, quia sicut beatus nequit habere fidem, ita nec Viator potest clarè videre, inquit Doctor; quamvis ergo concederetur posse Beatos habere scientiam hic acquisitam una cum visione beatifica, attamen omnino reputari Viatori pro hoc statu visio clara, & lumen gloriae, quia nunc videmus per speculum in enigmate ex Apost. cit. ex quo sequitur, Viatores habere non posse Theologiam Beatorum, atque ideo Theologiam nostram illi subalternatam non esse, quia habens subalternatam debet habere, vel saltem potest habere subalternantem.

Solvuntur Objectiones.

In oppositum objiciunt Thomistae. Primò Theologia nostra habet quicquid requiritur ad essentialem rationem subalternationis respectu scientiae Dei, & Beatorum, ergo &c. Probant antecedens, quia quod essentialiter ad rationem subalternationis requiritur est, ut subalternata sua principia accipiat à subalternante, ut per continuationem cum illa fortiatur rationem scientiae; sed Theologia nostra sua principia accipit à scientia Dei, & Beatorum, & per continuationem cum illa fortiatur rationem scientiae, ergo est illi subalternata. Major patet conceditur; minor probatur, quoniam Theologia nostra procedit ex articulis fidei, tanquam ex principiis creditis, & acceptis ex scientia Dei, & Beatorum, in quantum sunt evidentes; ergo habet quicquid requiritur ad essentialiter rationem subalternationis.

Respondet Amicus disp. cit. sect. 7. negando antecedens, ad cuius probationem negat majorem admittendo minorem, quia non participat reliquas condiciones ad subalternationem essentialiter, cum nostra Theologia non addat supra objectum scientiae Dei, & Beatorum differentiam accidentalem, quae erat secunda conditio, quandoquidem idem omnino sit utriusque Theologiae objectum, nempe Deus sub ratione Deitatis. Hac responsio, licet sufficiens sit, quatenus ad tollendam subalternationem Theologiae nostrae respectu scientiae Dei, & Beatorum sufficit, quod ei deficiat una ex enumeratis conditionibus ad subalternationem requisitis; malè tamen negat majorem, cum ea sit praecipua conditio subalternatae ex dictis n. 3. & adhuc peius concedit minorem, quod nostra scilicet accipiat principia à scientia Dei, & Beatorum, ut subalternata accipiat à subalternante, & per continuationem cum illa fortiatur rationem scientiae, ut constat ex dictis n. 3. etenim Theologia nostra articulos non accipit à scientia Beatorum, & quamvis eos accipiat à Deo, non tamen accipit per demonstrationem, & claram noticiam, ut subalternata accipit sua principia à subalternante, ut rationem scientiae fortiat, sed per revelationem, & obscuram cognitionem; neque Theologia nostra continuari potest cum scientia Dei, & Beatorum, ut constat ex n. 41. quia Viator nequit simul habere fidem, & visionem; quare ad probationem negati antecedentis potius concedenda est major, & neganda minor cum ejus probatione ob rationes adductas.

Secundo idem Medicus subalternatur Physico, quia ejus auctoritati credit quatuor esse elementa; ergo Viator fidelis subalternatur Deo, quia ejus auctoritati credit ea, quae per suos nuncios revelat. Resp. negando assumptum, quia ad subalternatam non sufficit, quod habens illam credat principia innixus soli auctoritati habentis subalternantem, sed illa accipere debet per demonstrationem, & evidentem noticiam, ut probatum est disp. 12. log. q. 4. art. 2. alioquin fidem habebit de suis conclusionibus, non scientiam.

Tertio de ratione essentiali scientiae subalternatae est, ut principia sua sint obscura, & invidentia in scientia subalternata, clara, & evidentiā in subalternante; sed sic se habent principia Theologiae nostrae, quod in ipsa invidentia sunt, & obscura, evidentiā verò in scientia Dei, & Beatorum; ergo haec nostra subalternatur illi.

Resp. majorem esse insufficientem, quia ad subalternationem non sufficit, quod principia unius scientiae clarius cognoscantur in altera, si haec non juxta illum in eorum cognitione, ut ait Doctor quest. 4. prolog. s. ad 2. *quest.* sed subalternatio requirit, quod notitia principiorum scientiae superioris sit causa notitiae principiorum inferioris; hoc autem non evenit in proposito, quamvis enim nostra Theologiae principia clarius cognoscantur in scientia Dei, & Beatorum, illa tamen non accipiuntur à Deo, ut clara, & evidentiā, & ut in tali superiori scientia probata, sed obscurè, & per fidem.

Quarto tandem scientia subalternata, ut sic; supponit, non 45 principia sua principia, quia supponit ea probata in superiori scientia; ergo de ratione scientiae subalternatae non est, quod sciat sua principia in priora resolvat, sed sufficit, quod ea credat, ut probata in superiori scientia, sed totum hoc habet Theologia nostra, quia supponit, & credit sua principia in superiori scientia probata, & evidentiā, nempe Dei, & Beatorum, ergo, &c.

Respond. scientiam subalternatam, ut sic, supponere sua principia jam probata in superiori scientia, in quantum supponit in intellectu eam habente scientiam subalternantem, virtute cujus probari possint, vel jam probata sint sua principia

cipia, non verò quia fundat intellectum illam habentem ea principia credere, alteri de illis evidentiā habenti, unde in hoc sensu concessa antecedente negatur consequentia, quia si subalternata sola reperiretur in aliquo intellectu non conjuncta cum subalternante, per quam possit probare sua principia, nec subalternata in tali intellectu erit vera scientia, sed fides, quia juxta Aristot. dogmata, tunc unamquamque rem scire arbitramur, cum causas primas, primaque princi-

pia, & utique ad elementa cognoscimus, nec talis intellectus erit vere sciens, sed credulus, nisi illa principia haberet aliunde probata per sensum scilicet, & experientiam; in quo casu licet dici possit scientia, non tam subalternata, quia in tali modo cognoscendi à subalternante non dependet, ita Doctor. 3. d. 24. ad 1. pro 1. opin. ubi hoc, & alia huc spectantia soluit argumenta, quibus & nos occurrimus disp. 12. log. q. 4. art. 2. prope finem.

DISPUTATIO II. DE DIVINIS ATTRIBUTIS.

QUESTIO PRIMA.

An existentia sit predicatum Dei quidditativum, vel attributivum.

IN Omine attributorum intelliguntur divinae perfectiones à nobis explicatae per modum proprietatis divinae, de quibus hic agemus, prius in generali, deinde in particulari; divina existentia verò communi calculo, cum Thomistarum, cum Scotistarum inter divina attributa non numeratur, sed inter predicata Dei quidditativa, cum sit de quidditate, & formalitate ipsius Dei, & quamvis nonnulli veterum Scotistarum ipsam posterint modum Dei intrinsecum, non verò predicatum quidditativum; ut Trombet. 1. Metaph. q. 6. & lib. Formalis. Marton. p. d. 2. quest. 1. artic. 2. Bargius ibid. quest. & Postnansen. dub. 2. conclus. 4. & quidam alii; communi tamen Scotistae melioris notae, tam veteres, quam Recentiores tenent esse predicatum Dei quidditativum, ut Paulus scripserit, Tatarcus, Vallo, Sirectas, Balolius, Mauricius, Hybernas, Lichetus, Gratiarius, Gadius, ex veteribus; ex Recentioribus autem Smifinch. de Deo uno, disputat. 2. Poncius disput. 2. quest. 4. Sghemma cit. 1. quest. 2. Faber. p. disp. 24. Scherius de Deo uno, & trino, disput. 1. q. 2. Meurisse lib. 1. Met. quest. 25. Rada tom. 2. contr. 2. artic. 3. & alii passim; Et quidem haec esse Scoti mentem indicant quamplures clarissimi auctores, nam p. d. 2. quest. 2. B. dicit, quod haec propositio, *Deus est*, est per se primi modi, & immediatissima, in quam omnes aliae propositiones resolvuntur enunciantes aliquid de Deo, qualitercunque concepto; & quol. 1. sub C. ait, quod essentia, & existentia in creaturis se habent, sicut quidditas, & modus, in divinis autem existentia est de conceptu essentiae, & predicatur in primo modo dicendi per se, sic quod propositio illa per se est prima, & immediata, ad quam omnes aliae resolvuntur, ut patet in p. d. 2. quest. 2. Neque valet quorundam esugium, hanc textum esse quoad ad additionem, atque signari pro extra. Cui enim illa doctrina ratificetur per dicta p. d. 2. quest. 2. sique illi penitus uniformis legitur eorum ipso pro vera ac genuina Scoti doctrina; Tum quia in eo art. 1. ab initio ait, quod in divinis necessario est aliqua entitas realis, sive ex natura rei, & hoc in existentia actuali, & quod ista realis entitas, quae est in Deo, cum prima ratio essentiae simpliciter, rationaliter Sanctis vocatur essentia; quod etiam ibi probat ex Aug. 7. de Trin. cap. 1. in fine dicente, quod est spiritus sapere, & quod est potentia posse, & aternitatem aeternam esse, & iustitiam iustum esse, hoc est essentia ipsam esse, quibus palam significat, quod essentia, ut est prima entitas in Deo includat esse in sui prima conceptibilitate, nec aliter distinguatur ab esse, quam abstractum à concreto; & quod sicut sapere, & iustum est de essentia sapientiae, & iustitiae, & dicitur in primo modo: ita esse, & existere sit de quidditate divinae essentiae.

Nec rursus valet aliorum esugium, quod cum praefatis locis inquit Doctor, esse, predicatur de Deo in primo modo, tamquam predicatum immediatissimum, ad quod resolvuntur omnia praedicata de Deo, quod non loquatur de immediatissimo inter omnia praedicata, sed inter modum intrinsecum, inter quos primus sit existentia Dei. Hoc enim statim praedicatur per illud superlativum simpliciter positum *predica-*

tum immediatissimum, & quod subdit de Deo qualitercunque concepto, perinde ac si diceret, nullum absolute loquendo esse Dei immediatiorem conceptum, quam ipsius esse. Tum quia in illo eodem s. ex bis, ad quaestionem expressè docet, quod esse, de Deo sub ratione Deitatis concepto demonstrari nequit à priori, bene tamen caetera, quae Deo conveniunt, per ipsum esse, quatenus ipsum esse prius, & immediatus Deo convenit, quam caetera, ut esse infinitum, aeternum, immutabile in necessarium, &c. quod enim habet, ex se, & à se esse habet illud cum omni plenitudine, & sine ulla limitatione, atque ideo habet esse infinitum; & quia quod est ex se, non habet esse potius hodie, quam heri, aut hoc anno, quam alio praeterito, nec potest potius hodie deficere, quam eras, vel anno futuro, ideo erit aeternum, ac sempiternum; quod autem est sempiternum, est quoque immutabile, & quod est immutabile necessario est; patet ergo, esse, & existere, non posse de Deo demonstrari propter quod, & à priori, sed esse primum, & immediatum conceptum ipsius Dei; caetera verò demonstrari posse per ipsum esse, cum sint quae posteriora juxta ordinem praedictum; Cuius itaque dicat Doctor, esse, ita primò convenire essentiae divinae, ut essentia sit medium ad demonstrandum propter quod de Deo infinitatem ipsam, aliosque modos, & attributa; & in sententia ejusdem, medium in demonstratione propter quod sit definitio, vel sit ratio quidditativa subiecti, ut dicitur est in logica; sequitur evidentè, existentiam ad conceptum Dei quidditativum pertinere debere, & non esse modum duntaxat intrinsecum ejus; Tum quia si esset modus intrinsecus solum, nihil probaret, quin de Deo demonstrari posset propter quod, & à priori per rationem ipsam Deitatis; ad Doctor inquit propositionem hanc, *Deus est*, esse immediatissimum, & in primo modo, atque indemonstrabilem à priori.

Id ipsum etiam significavit Doctor 1. d. 36. quest. un. ad 1. prin. cum ait, *Deum esse ex se ipsum esse, & non tantum, cui non repugnat esse*, sicut dicitur modus de creatura; & 3. d. 22. s. *sed quod logicè*, ait in hac propositione, *Deus est, esse, est de intellectu subiecti*; hoc est, includi in conceptu quidditativo subiecti, & quol. 6. s. *restrat nunc videre*, ait quod sicut infinitas inventio dicit modum intrinsecum essentiae, ut essentia, ut aeternitas, dicit modum intrinsecum existentiae, ut existentia; ex quo sequitur, existentiam modum Deitatis intrinsecum esse non posse, sed quidditativum conceptum, alioquin modus daretur modus. Sed quidam Scoti se imitant hinc potius oppositum deduci; quia si Scotus ponit distinctionem ex natura rei inter existentiam, & aeternitatem ratione entitatum formalium, quibus conveniunt, & infinitas conveniat essentiae, aeternitas existentiā, & infinitas existentiā, & existentia distinguuntur ex natura rei, aliter neque aeternitas distingueretur ex natura rei ab infinitate. Respondendo, nequam Scotum ibi ponere distinctionem ex natura rei inter infinitatem, & aeternitatem ratione entitatum formalium, quibus conveniunt, sed tantum inquit ex ea comparatione sequi, quod cum ibi sit existentia ex natura rei sicut & esse, per rationem modus illius intrinsecus, hoc ex natura rei sicut & esse, per rationem modus alterius, quibus verbis significare voluit, aeternitatem esse modum existentiam realem, sicut est ibi existentia ex natura rei, quam modificat, quemadmodum & infinitas est modus realis essentiae; non autem intendit distinguere illos modos ab invicem ex natura rei ratione entitatum formalium, quibus conveniunt, potius secedantur ex diverso modo modificandi eandem profus entitatem, quatenus infinitas est modus essentiae, ut talis entitas est, aeternitas verò est modus ejusdem

dem essentia, ut est in rerum natura, qua ratione sibi competit duratio, quae est aeternitas, nulla distinctione interveniente a parte rei inter essentiam, & existentiam, ut notat Scherius loco citat.

Deinde hoc ipsum probatur ratione, etenim ratio, quam significat nomen est vera definitio ex 4. Met. sed nomen Dei propriissimum significat formaliter existentiam, ut notat Doctor 1. d. 22. quaest. 1. ubi ait, quod nomen significans distinctionem essentiam divinam, est existentia, ut constat ex illo Exod. 3. ego sum; qui sum, hac dices filius Israel, qui est misere ad vos, quod repetit quol. 1. art. 1. quam rationem fuisse profecit Smising, loc. cit. ex pluribus Partibus. Conf. quia si existentia Deo non convenit, ut aliquid de eius essentia, sed ut modus, vel proprietates, plane ei convenit per aliquam rationem a priori; vel ergo ab alia causa, & sic ipse prima causa non erit; vel a seipso per naturalem emanationem, sicut passiones a suis subjectis manare dicuntur; & neque hoc dici potest, quia rationaliter cogitari non potest unum ab alio emanare, & aliquo modo causari, & illud non esse actualiter in aliquo signo priori vel durationis, vel naturae, vel originis, quandoquidem emanatio ad actum secundum pertinet, esse vero ad actum primum; si ergo existentia aliquo modo emanaret a divina essentia, & non potius esset illius constitutiva, necessario in aliquo priori natura secundum rem, vel rationem formalem deberet essentia esse actu, in ratione principii talis existentiae; sed hoc esse actu in rerum natura esse existere; ergo essentia divina existentiam haberet ante ipsam existentiam, quod implicat; quare concludendum est existentiam non posse se habere in ordine ad essentiam, sicut ceteros modos, & attributa, sed tanquam praedicatum essentiae illius constitutivum. Neque valet, quod inquit essentiam divinam, ut ab existentia contradistinctam dici posse existere fundamentaliter, quod sufficit, ut esse possit principium existentiae formalis. Non valet, quia illa ipsa existentia, quam ipsi dicunt fundamentalem, esset ipsam essentia formalis, & actualis, conceptus enim existit, sicut formalis est consistit in re in tali statu, ut possit esse principium alicuius effectus, & suas actuales operationes exercere; hoc autem competere essentiae fundamentaliter existenti, quia ut sic, ponitur esse posse principium existentiae actualis, & formalis. Dices, argumentum pariter probare existentiam esse praedicatum quidditativum essentiae create, nam si ponitur modus intrinsecus ab ea dimanans, talis dimanatio esse non potest, nisi essentiam create actualiter, & formaliter praesisteret. Negatur paritas, quia existentia convenit essentiae create non per solum dimanationem ab ea, sed a Deo extra causas suas producente, existentia autem non convenit Deo ab aliqua causa extrinseca, sed eam a se habet. Demum ratio prima distinctiva inter Deum, & creaturam est, quod Deus est ens per essentiam, creatura vero per participationem, ut Patres, & Theologi communi calculo docent; vel ergo quando Deus dicitur esse ens per essentiam, hoc intelligitur de ente nominaliter tantum sumpto, pro eo nempe, cui ex sua ratione formali non repugnat existere; vel etiam participiter sumpto, pro eo scilicet, quod actu existit; non primum, quia sic etiam creatura dicitur ens per essentiam, quatenus ex sua ratione formali habet possibilitatem, & non repugnantiam ad esse praesertim de mente Scoti 1. d. 43. si secundum, vel hoc ita intelligitur, ut existentia sit solum essentia Dei per identitatem realem, & hoc non sufficit, quia sic etiam in eodem sensu existentia est essentia creaturae, cum realiter non distinguatur ab ea ex dictis in Metaph. ut ergo peculiari modo Deus dicitur ens per essentiam participiter, hoc ita debet intelligi, ut existentia sit de essentia Dei, & praedicatum eius quidditativum, uti in creatura est modus duntaxat intrinsecus.

In oppositum arguunt veteres Scotistae. Primum ex Scoti auctoritate 1. d. 8. q. 3. ad 1. prin. infra BB. ubi ait, ens per essentiam est ipsum esse infinitum, & non aliquid, cui tantum conveniat ipsum esse. Ideo ex se est hoc est, & ex se infinitum, ut quod per primum intelligitur, aut aliquo modo infinitas ex modis entitatis per essentiam, quam in sum intelligitur esse hoc, si ergo primo intelligitur in Deo infinitas, ut omnes Scotistae fatentur, tanto minus existentia. Respondet Scherius cit. perperam in argumento confundi existentiam cum haecitate, & singularitate, utique Scotus ibi docet infinitatem esse priorem haecitate, & singularitate eius, non tamen ait esse priorem existentiam; ratio autem cur infinitas in Deo praecedat haecitate est, quia ut dictum est in Metaph. hoc primum versatur discrimen inter modos specificos, ac individuales, quod illi constitutione quidditatis rei immediate sequitur, hi

vero constitutionem, individualem, seu individui, ut patet de gradibus intrinsecis in abedias, qui sequuntur constitutionem eius individualem, quia sunt modi intrinseci individuales, perfectio vero specificis, quia abedio ceteros antecedit colores sequitur immediate constitutionem eius quidditativam, ut modus eius specificus; quare eam in proposito finitas, & infinitas sunt modi intrinseci specifici Dei, & creaturae, consequenter in utroque preveniunt illorum individualitatem, & haecitatem; unde hic ordo natura secundum naturalem existentiam in Deo est cogitandus ut Scherius advertit loc. cit. primo est essentia divina de se existens in ultima, & consummata actualitate; deinde sunt modi intrinseci, scilicet infinitas modus essentiae, ut sic, & aeternitas modus existentiae; postmodum haecitas; & singularitas huius essentiae; deinde potentia, scilicet intellectus, & voluntas; postea attributa, & perfectiones essentiales, & denique notionalia, & haec est communis responsio Scotistarum existimantium secundum Scotum singularitatem non esse de quidditate Dei, quibus praevit Liechten 1. d. 8. q. 3. in textum citatum in suo commentario. 1. d. 1. d. 4. q. 2. & 2. d. 3. q. 6. ad 1. prin. & quol. 1. ab initio, & alibi frequenter dicens Deitatem esse de se hanc, & singularem, quia si Deus sua quidditate non esset hic, non esset contradicere intelligere ipsum multiplicabilem, & ad plura indifferenter, quoniam intellectus sua Dei quidditate non intelligeret hic, & singularis, & consequenter sine repugnantia ad plurificari; consilium est dicere Scotum loc. cit. non loqui de conceptibus ex natura rei ad Deo abstractibilibus, sed tantum de nostris conceptibus imperfectis, inter quos primus de Deo ordine perfectionis est infinitas conceptus, per quem nos primo secundum nostrum imperfectum concipiendi modum Deum a creatura distinguimus, ut probet Smising, animad. verum disp. 2. cit. q. 2. 2. 2. Nihilominus si cuiuspiam solutionem sustinere placet, ad instantiam factam in altera solutione poterit occurrere ex doctrina inferius tradita, da nu. 80. ex Scoto deducta 1. d. 8. q. 4. ad 1. prin. quod est singularitas non esset de essentia Dei, hinc tamen non aduc sequitur naturam divinam esse ad plures haecitates indifferenter, sicut est creatura; haec enim in tantum pluralitabilis dicitur in plura individua, quatenus de se potentialis est ad differentiam individualem, potentialitas autem unius ad aliud supponit vel reale inter illa duo distinctionem, vel saltem imperfectam identitatem, quam scilicet inter se habeat ratione tertii, in quo uniantur; & quia natura create tali imperfectae identitate cum differentia individuali identificatur, nempe ratione tertii quod constituunt, ideo dicitur potentialitas eam ac prout quae est de se ad plura contrahibilis distinctum; at in proposito natura divina, etiam si singularitas non ponatur de eius essentia, non ob id dici potest potentialis ad eam, quia ratione infinitas est sibi perfectissime identificata, ratione cuius summae identitatis tollitur omnimoda potentialitas unius ad aliud, quia nulla res est in potentia ad seipsam; quia ratione non obstante formali distinctione naturae a singularitate, adhuc natura divina dici potest, ac debet de se esse haec; & implurificabilis, quae doctrina est expressè Scoti 2. d. 3. quaest. 6. ad 1. prin. lit. L.

Secundo arguunt ratione, quaecumque duo in suis conceptibus simplicissimis, & formalissimis non se formaliter includit sic, quod unum non sit de essentia alterius, in nullo uno sic uniantur formaliter, sed essentia, & existentia in suis conceptibus simplicissimis, & abstractissimis non se formaliter includunt; ergo in nullo se formaliter includunt, & per consequens nec in Deo; major patet, quia in illo non variant suas rationes formales, quoniam enim animalitas ut sic, non inclusionem rationalem, neque animalitas in homine eam includit, unde inconsulto haec major negatur a Vulpio loc. cit. falsum est enim, rationalitatem etiam in homine esse de essentia animalitatis, & in ea formaliter includi; minor etiam patet, quia si essentia, & existentia in suis conceptibus abstractissimis se includerent, nec in Deo existentia esset de quidditate essentiae, sed etiam in creatura ob eandem rationem, quoniam manente propria ratione formali alicuius, manet etiam identitas, vel diversitas ad alium conceptum, Conf. ex Scoto 1. d. 8. q. 4. ubi probat formalem distinctionem inter attributa haec ratione; quia si infinita sapientia esset formaliter bonitas, & sapientia in communi esset formaliter bonitas in communi; infinitas n. non destruit formalem rationem illius cui additur, & c. ergo a pari si essentia infinita Dei includeret existentiam quidditativam, essentia in communi includeret quidditativam existentiam in communi, quod est falsum. Conf. tandem quia vel conceptus existentiae, ut sic, precisissime sumptus est praedicatum quidditativum, vel

vel modale; si primum, ergo etiam in creatura erit tale, quia descendit in creaturam secundum id, quod importat, neque contractio variat rationem formalem, & quidditativam rei, si secundum, habent intentum.

Respondent communiter Scotistae nostrae opinionis, quod essentia, & existentia secundum communissimas rationes suas non habent, quod positive se includant, vel excludant, sed ab utroque formaliter praescindunt scilicet ab inclusione, vel exclusione positivitate quod includere se formaliter, vel non se formaliter includere accidit eis, ut sic absolute considerantur; contracte vero ad Deum, & creaturam se positive includunt, vel excludunt, in creatura non est de quidditate, in Deo vero est de quidditate. Hanc tamen communem, & verissimam responsum, quae fuit Bassoli 1. d. 8. q. 1. art. 2. ad 2. nititur Scotista quidam evertere, sic arguens: nihil potest praescindere a seipso, sed bene a suis inferioribus, ut constat de animali praescindere a suis inferioribus, & differentis, non a sua formalitate, ergo semper sit praedicatum quidditativum margumetum ergo perit de existentia precisissime sumpta, non a eius formalitas sit formalis essentiae, & quidditativa, vel non essentialis, seu modalis inter haec enim non datur medium, dum enim principio formalitatem aliquam, certe talis conceptus obiectivus debet esse, vel essentialis, & quidditativus, vel non quidditativus, ita possemus dicere de quolibet alio conceptu communi, de conceptu scilicet entis, substantiae, spiritus, &c. precisissime sumptis scilicet non esse conceptus nec quidditativus, nec non quidditativus. Haec tamen est trivialis impugnatio, verum quidem est, nullum conceptum superiorem posse a seipso praescindere, & a propria formalitate, sed tantum a suis inferioribus, & contractibus, ut constat de animali; falsum tamen est, formalitatem eius esse, quod sit praedicatum quidditativum, nam formalitas v.g. animalis est, quod sit substantia animata sentiens, esse autem praedicatum quidditativum ei convenit secundum quod ad sua inferiora comparatur, in quibus essentialiter includitur, nam si comparatur ad differentias contractes non est praedicatum quidditativum, cum in eis essentialiter non includatur, sic etiam color, si ad sua inferiora coparetur est praedicatum quidditativum, cum in eis essentialiter includatur; comparatur vero ad sua subiecta non est praedicatum, quidditativum, quia eis omnino accidentaliter convenit, unde si absolute consideretur secundum suam formalitatem cum omnimoda precisione ab his, & illis, nec est praedicatum quidditativum, sed ab utroque praescindit, neque ob id praescindit dicitur a seipso, vel a propria formalitate, quia non est eius formalitas, quod sit praedicatum quidditativum, vel non quidditativum; Neque haec duo contradicuntur circa aliquem conceptum precisum, quoniam contradictio est de eodem, & respectu eiusdem, non autem respectu suorum inferiorum sit praedicatum quidditativum, & respectu differentiarum non quidditativum, & sic dici debet de quocumque alio conceptu communi, quod sit praedicatum quidditativum, & non quidditativum secundum quod ad diversa comparatur, in quibus quidditativum includitur, vel non includitur; & sic etiam in proposito dicendum de existentia precisissime sumpta, quod sic absolute considerata praescindit ab hoc, quod sit praedicatum quidditativum, vel non quidditativum, nequod id dicitur praescindere a seipso, aut a propria formalitate, quia haec non est eius formalitas, quod sit praedicatum quidditativum, sed enunciatur, quoddam ei conveniens, dum comparatur ad Deum, in quo quidditativum includitur, sicut contra, si comparatur ad creaturam, dicitur praedicatum non quidditativum, sed tantum modale, quia in ea quidditativum non includitur.

Ad Conf. ex Scoto deductam 1. d. 8. q. 4. negatur paritas, non enim nos dicimus existentiam in Deo esse de quidditate essentiae, quia eius essentia est infinita, sicut ratione infinitas praefata dicimus, unum attributum identificari cum alio, sic enim utique teneret, paritas ex argumento Scoti deducta, sed dicimus divinam existentiam ex sua ratione formali identificare existentiam, non autem rationem, infinitas praefata, quia infinitas, ut docet Doctor quol. 5. non habet vim identificandam, nisi realiter, non autem formaliter. Ad ultimum constat ex dictis ad primum.

Tertio tandem arguunt alii, quae sunt communia Deo, & creaturis sunt eiusdem rationis, sed existentia est communis etiam in Deo, Tum quia de Deo habet scientiam, & haec abstractiva ab existentia; cum igitur ad praedicatum primi modi non fiat abstractio, existentia non erit praedicatum primi modi etiam in Deo. Tum tandem, quia existentia probatur de Deo per infinitatem, ut patet a Doctore 1. d. 2. qu. 1. & infinitas secundum ipsum non est de essentia Dei; ergo tanto minus

existentia, quae sequitur ex infinitate. Ad 1. occurrunt passim Scotistae nostrae opinionis, quod communia Deo, & creaturis sunt eiusdem rationis transcendens, non specificae, & ideo non sequitur, quod si existentia est in nobis modus intrinsecus, sic etiam sit in Deo. Quae solutio non videtur sufficiens, nam quando aliqua conveniunt in ratione communi, sive generica, sive transcendenti, si illa ratio est de essentia unius, etiam est de essentia alterius, ut si animal, in quo conveniunt homo, & brutum, est de essentia hominis, est etiam de essentia bruti; si ergo essentia create, & increata conveniunt in communi ratione existentis, si existentia est de essentia Dei, etiam in creatura. Respondent proinde alii majorem esse veram, quando illa ratio communis, in qua inferiora conveniunt, est distincta, & adequatè conceptibilis; & univoca, perfecta univocatio, adeo ut realitatem importet; ut animal respectu hominis, & bruti, non autem purum conceptum obiectivum inadacquatum, & consumit, ut importat transcendens communia Deo, & creaturis; si enim solum est univocatio, analogas, ut est in proposito, potest uni analogo quidditativum convenire, alteri vero qualitative solum, ita Smising, disp. 4. q. h. num. 41. Schenma, & Vulpes. Sed adeo instantia de conceptu entis, cuius sententia nostra nulla correspondet realitas distincte conceptibilis ex dictis in Met. & tamen quia Deus, & creatura in illa communi ratione conveniunt etiam cum analogia permixta, est praedicatum quidditativum utriusque. Dico itaque conclusionem primi argumenti non recte ex illis praemissis deduci; tantum enim ex eis sequitur, quod existentia sit eiusdem rationis in Deo, & creatura, hoc est, quod semper retineat eandem formalitatem, & conceptum obiectivum, non autem sequitur, quod sit modus intrinsecus, vel praedicatum quidditativum, ut in utroque, quia ut supra dictum est, esse praedicatum quidditativum, vel modale, non est formalitas, & ratio quidditativum existentiae, quae tantum in eo consistit, ut sit id, quod aliquid est in rerum natura, sive respectu eius sit praedicatum quidditativum, sive modale; & illa propositio, quod quando aliqua conveniunt in ratione communi, si illa ratio est de essentia unius, est etiam de essentia alterius, vera est, quando in ea conveniunt, non tantum, ut in praedicto univoco, sed etiam univoco dicto, ut se habet ens respectu Dei, & creaturae; nam si in eo conveniunt tantum, ut in praedicto univoco, poterit uni tantum quidditativum convenire; & alteri solum qualitative, & in hoc sensu tantum dicimus, Deum, & creaturam convenire in ratione communi existentis. Ad 2. scientia abstractiva ab existentia in creaturis, in quibus existentia est contingens, non autem in Deo, cuius existentia est necessario est. Ad 3. negatur assumptum, nam Doctor ibi non demonstrat existentiam Dei per infinitatem, sed ens infinitum esse, unde potius probat ipsam infinitatem, quam per infinitatem, quod aliquid sit interdu. Doctores existentiam Dei ex infinitate concludunt; tunc arguunt a posteriori, non a priori; alia argumenta minoris momenti vide apud alios Scotistas.

QUESTIO SECUNDA.

An, & quomodo attributa, ac relationes originis ab essentia distinguantur.

ARTICULUS PRIMUS.

Status controversiae proponitur.

Quaestione hanc promissè proponimus de attributis 6 nec non relationibus originis, quia quoad rationem distinctionis, ut sic, ut est de utriusque eadem ratio in schola nostra, ut ex eisdem fere fundamentis ponuntur ab Auctoribus cum essentia identificari, vel ab ea scerni, exceptis quibusdam recentioribus majorem distinctionem agnoscunt inter essentiam, & relationes quam sit ab attributis; ut infra dicemus, quod etiam, quod sensu concedi possit patebit num. 70. pro dignitate autem hic debet examinari, quia est quoddam principium theologicum, unde graves aliae pendunt controversiae. Suppositis autem, quae fere dicta sunt disp. 6. Met. de natura identitatis, & distinctionis realis simpliciter, & rigorose sumptis; item distinctionis formalis actualis ex natura rei valde celebris in Schola nostra; & distinctionis virtualis Thomistica, & Neoterica valde familiaris; ac denique distinctionis rationis merito ab intellectu dependens; certa ab incertis feceramus in hac controversia, in dubium est apud Catholicos, nec attributa, nec